Gaspar
... lmensis
Kuszewii Samuelis Antistes
Culmensis.

ANTISTES CVLMENSIS.

SEV

Illustrissimi ac Reuerendissimi Dn.

Dn. GASPARIS

a' DZIALIN DZIALINSKI

EPISCOPI CVLMENSIS ET POMESANIENSIS

FELICISSIMVS

In Ecclesiam Cathedralem Culmensem

INGRESSVS.

A


M. SAMVELE KVSZEWICZ, PHILOsophiæ DOCTORE, Col. Lub. Profes.

In debitum pietatis & Humilis obsequij Symbolum.

DESCRIPTVS.

POSNANIAE, In Officina ALBERTI REGVLI.

ANNO, M. DC. XXXX.



IPsa Ecclesia deuotionem Tuam, meo quidē sermone, sed suo venerabili appellat affectu, quam Christus Dominus noster, vestri fidus rector & gubernator imperij, vni desponsatam sibi, & intactam Virginem seruat, ne in eam aliquos patiamini procellarum fluctus illidi, & quietam faciem tempestatis insolitæ tumore turbari.

Bonifacius I. ad Honorium Augustum.

Illu-

Illustrissimo ac Reuerendissimo Dn. Dn.

GASPARI à DZIALYN DZIALYNSKI CVLMENSI ET POMESANIENSI

Episcopo. Dn. & Patrono Colendissimo.

ANtistites cælitùs dari, Illustrissime Domine, iure meritò creditum: non quâ lege Supremi Numinis imagines, nos cæteri, sine ullo discrimine, mortales; sed quâ rerum longè maximarum vos Speculatores Ecclesiæ, ad blasphemas Hæreses extirpandas, occulto fatorum arbitrio, missi. Scopus vestri Sacrique officij (quod nihil aliud quàm Sacrorum explanatio, & Religionis propagatio est) Christi Ouium vtilitas & Salus: nec Vobis certior vel ad conciliandam nunquam intermorituram gloriam, vel ad Immortalem Deum via. Hoc miro vtriusque temperamento Prædecessores Tui, Amplissimam Diæcesim sustentarunt, & ad Te Romanæ Ecclesiæ, quæ columna & firmamentum veritatis est, puritatem transmiserunt. Illorum vestigijs non insistis modò, sed & illis vigilantiâ antestare videris: qui felicissimo Tuo in Episcopam ingressu Heterodoxorum conatus consilio inuestigasti, veritate aperuisti, magnitudine animi vindicâsti, qui exacerbatos nuper Ciuium animos, atque in publicam surgentes perniciem, sedâsti: qui Varsouiæ, inter Comitiorum æstus, honesta à deterioribus, vtilia à noxijs separâsti. At cùm in omni Repub: omnium retrò sæculorum docemur exemplis, nullo alio magis magistro opus esse in terrorem & cautelam, quàm grauissimo integerrimoque Rectore, tum demùm hic mihi optimus Antistes videtur, qui Orbis venena, & Christianæ Religionis carcinomata, non magis imperio tollit, quàm exemplo. Habet enim siue in sacris, siue in prophanis, nescio quid latentis virtutis, præclara Antistitum vita: quæ, vt ad deteriora populum inducit prauo instituto: ita ad optima quæque prouocat Sanctimoniâ & integritate. Quam rem qui Antistites assecuti, Pietatem & Labores

coniugali vinculo copulauerint, hi mihi primùm Ecclesiasticæ dignitatis fastigio dignißimi, & in eo diuinitus collocati videntur. Rarâ temporum felicitate in his Ecclesiæ pastoribus, Tu, Antistes Illustrißime, primas videris optimo iure consecutus: qui egregio exemplo, & cæteris imitando, integritatem vitæ primum ostendisti extirpandæ Hæresis modum, Sanctioresque effecisti homines admiratione Tuæ venerationis. Porro Tuæ puritas vitæ & Integritas, cùm mihi meritò laudandæ eßent, tantas virtutes, non minùs breuiter quàm simpliciter, adumbratas, Augusto Tui Nominis splendori offerendas non dubitaui: vt & deuotam obsequentißimæ mentis meæ obseruantiam in Te declararem, & tantarum virtutum Tuarum seros in Nepotes memoriam transfunderem. Nec tamen in eam partem hæc accipi velim, tanquam hæc mihi sit in scribendo copia, vt suis à me absolutum numeris aliquid porficisci queat, sed vti quod in hoc meo carmine de tanta laudum Tuarum detractum est amplitudine, non meæ voluntati, at earum magnitudini vniuersum tribuatur. Accipe igitur, Illustrißime Domine, quâ soles animi benignitate hoc meum, qualecunque est, munusculum; etsi fortaße maiorem in audendo iudicij desideres maturitatem, debitam saltem alacritatem lubens amplexare.

Illustriß. Celsitud. Tuæ

deuotißimus cliens

M. SAMVEL KVSZEWICZ.

ANTI-

ANTISTES CVLMENSIS.

FElix qui Proauis non degener, inclyta Sacri
Conſcendit virtute tholi Capitolia. Virtus
Suadet iter, penitùsque aditus intrare repôſtos.
Illic in medio radianti gemmea moles
Maieſtate nitet, latèque ſuperbit ouanti
Iaspide, Sardonichasq́ue premit, pulchrumq́ue Smaragdum.
Aurea flamma tholum variat, roſeoq́ue rubore
Induit. Hic vario ſcintillant pegmate flores
Textaque Præſuleas imitata emblemata formas,
(Enumerat quas ter ¦de nas ex ordine Culmæ)
Inuitant oculos ſpectantûm, & lumina poſcunt.
Crediderin picto facies in pegmate, Diæ
Arte laboratas rutilo ſpirare metallo:
Atq́ue locuturos mentito corpore vultus:
Et Tyrio pictas in murice viuere formas.
Huc poſtquam ingreditur, Culmæ melioris origo,
Præſul Auis Atauisq́ue potens, comitatur euntem
Virtutum Diuina phalanx (mirabile dictu)
Aeriumq́ue choris iter ardet; Serta per omnes
Culmigerûm disperſa plagas. Puriſsima ridet
Relligio, ſpargensque roſas Pátientia vernas
Purpurat, Aſtrææq́ue Soror Clementia bellè
Lilia natiuo violarum interſerit auro
Hanc ſequitur, veteri Virgo iucunda Boruſso,
Aurea Pax, ſpirans fragranti vertice odorem:

Cui volitant flaui per candida colla capilli,
Ad frontem aurato religat quos fibula nexu.
Mox Dea Cælestis violati Numinis Vltrix,
Magnanimum pectus loricâ accincta trilici,
Fert Leges ac Iura Fori, Pacisque quietos
Imponit mores, Mandataque publica defert.
At clypeo indomitum munit Constantia pectus.
Stant Adamante togæ, totosque infusa per artus
Temperies, validâ sese metitur in hasta.
Tempora cana Fides ligat immortalibus herbis.
Inscia Spes curarum: & plenis Gratia riuis
Lætior: & placidam suadens Concordia Pacem.
Atque verecundis suffusa ruboribus ora,
Hinc Pudor, hinc Probitas, & castæ Mentis Honores,
Insignes vultu Nymphæ, liquentia pennis
Regna secant; strident Zephyri, subitoque volatu
Saucia flammiuomis clarescunt nubila gemmis:
Et iussæ excelso sidunt in culmine Culmzæ.
Vt Templi tetigêre fores, mirita relucent
Limina, perfusæ suspirant igne columnæ
Sydero, & subitis riserunt omnia gemmis.
Pallidulas violas, & quales Hybla coronas
Gignit odoriferas, Zephyris motantibus auras,
Gazas floris Acidalij, & ferrugine pictas
Luteolas spargunt Calthas, quibus ipse pepercit
Syrius, & placido vernales sydere fouit.
Interea illustri dùm cernit in arce locatum

 Mystam

Mystam, Sarmatici Decus immortale Senatûs,
Vltrò Relligio properans accurirt Auita,
Luce suâ Templum irradians (sic mane recenti
Exoriens radiat rubicundo è gurgite Phæbus,
Dùm stringit Geticum radijs flámmantibus Hæmum,
Aëris ipse decus, decus & noua gloria cæli
Stelligeri) tandem verbis his fatur amicis.
Scande Borussorum, Præsul Venerende, Curules:
Te rogat altus Honos: rogat & sibi conscia Virtus:
Quam non Lethææ mergent obliuia ripæ:
Quam quà Sol oritur, quam quà se condit in vndas
Rumor aget, niueisque volans ad sydera bigis
Euehet, & seros mandabit ad vsque Nepotes.
Vt Sol exoriens concussas grandine Syluas,
Depressos & humi flores, languentiaque arua,
Erigit, & cælum radijs terrasque serenat:
Sic perculsa graui Tu vulnere pectora plebis
Christiadûm reficis, iucundâ spe arduus implens.
Iam modò Prussigenûm populus cociisus ab hoste,
Te Rectore diu non se fore sperat inultum:
Et spolium Fabros, ereptaque Templa reposcit.
Hæc Fortuna Tibi, vix primæ limina vitæ
Ingresso, dederat felicia Symbola quondam
Inter Prussiadas Sacræ prænuncia Mitræ.
Tu Tu Culmigerûm Mystas virtutibus omnes
Æquaturus eras. Tibi Sacras Culmshea mitras
Submittit, superantque Tuæ omnia prisca sagittæ.

Talem

Talem Martigenæ tranquillâ pace Quirites
Sacrificum vidêre Numam, Pietate regentem,
Romanos rerum Dominos, Gentemque Togatam.
Scande Borussorum, Præsul Venerande, Curules:
Te rogat altus Honos, & Gentis gloria Magnæ,
Illustresque rogant Animæ, Quas candida Virtus
Reddidit æternâ dignas per sæcula famâ.
Quis nescit quantùm clarissima floruit olim
Stirps hæc plena Viris. Ex hac tot fulmina belli,
Tot fomenta Togæ, tam splendida Sydera miris
Emicuêre modis, quot vernâ Dælius aurâ
Spargitur in radios, vbi formosissimus annum
Explicat, aurifluisque rigat splendoribus Orbem.
Aut quot cæruleæ gremium conspergere matris
Hesper amat facibus, cùm Sol concesserit astris,
Cúm Phæbe bifidæ Scintillans lumine frontis
Vrget iter, curruque volans dat lora secundo,
Et stellas radijs longè interfulgurat omnes.
At licet ex amplo sumant primordia fonte
Dzialinii; maiore tamen splendore feruntur
Stemmata, conspicuos vltra progressa Nepotes.
Multa mihi Virtus animo multusque recursat
Gentis Honos. Hærent infixi corde Toparchæ.
Quos inter medius venit Pater. Ibat in armis
Aureus: ipsum illum clypeum cristasque rubentes,
Cùm spumantis equi foderet calcaribus armos,
Horruit Hostis atrox, & Martia pectora sentit.
Nec

Nec minus & Soboles crescit: quæ Sanguine Magnum
Nomen in astra vehit, cuiusque à stirpe Nepotes
Ocyus instabant natos dispellere morbos,
Siue domi sparsos Discordia sæua tumores
Excijt, inflammans ad mutua vulnera Ciues:
Siue cruentificos mouit Bellona LEONES,
Vandalicasque acies, Suecicique incendia Martis.
Nec minor ad Nestrum. Nestrum Chocimáque testor
Mænia: Moldauicos campos cùm Turcicá Lechus
Exanimata sequens impingeret agmina castris.
Millia multa daret letho, gemerentque repleti
Amnes: nec reperire viam, atque euoluere posset
In Mare se Nester, tractus CARACAS ue per arua,
Præda auibus, præda ipsa feris lanianda iacebat.
Sed priùs Herculei torrentia sydera monstri
Solstitio vicina domus, locaque edita cæli
Diffundent terris hyemem glacialibus Euris;
Ante & conspicui summo de cardine mundi
Flaua Lycaonio surget Pallantias axe
Atque diem auerso subteruehet Auster olympo:
Stabunt & cæli septem labentia signa
Dzialinii memorem Generis quàm rite Dynastas:
Laudibus aut meritis tollam, aut æquem ipsa canendo.
Vt si quis iubare exorto Phæbeia demens
Ausit obire oculis ora, atque haurire videndo:
Ilicet ecce illi torpescunt lumina, & ipsa
Caligant in luce oculi: tum tempora circum

Offun-

Offundit ſeſe nubes, & fumida oberrans
Caligo, ac nigræ cælum eripuere tenebræ.
Scande Boruſsorum, Præſul Venerande, Curules:
Te rogat altus Honos. Per Te Plutonia proles
Centum implexa modis, centum religata catenis,
Ad Manes imos, atque intima Tartara curret:
Quæ nunc Romuleos ritus, Sanctumque Senatum
Execratur atrox, igni deuota futuro.
Multa quidem monumenta Tuæ virtutis habemus
Antiſtes, multis venit Tibi gloria rebus:
At te non alia tantùm iactaueris vllâ,
Iudice me, nullo ingenium Tibi ſe mage tollet:
Quàm quòd Tecta ſtruas, Iuuenum plaudente coronâ,
Auſpicijs fauſtis reſerans veneranda Lycæi
Pulpita, Doctorum & pandens monumenta virorum.
Tu nuper Socio Magnum & venerabile Ieſu
Struxiſti Templum, Phariis quod vtrinque columnis
Irradians, ſuperi flammas imitatur olympi:
Spectantumque tenet varijs ſtupefacta figuris
Lumina, quas doctæ ſpiranti mollius ære
Artificum duxêre manus, maculisque politos
Sidonijs lapides mirantûm reddere vultus
Phidiacis docuêre notis, velut ardua cælo
Cinthia Phebæo noctem diſcriminat igne,
Scande Boruſſorum, Præſul Venerande, Curules:
Culmshea te prenſat. Mea ego Tibi Munera mando:
Comitto Tibi peioris mala Semnia ſtirpis

Extirpanda, piam ſperans cum fænore meſſem,
A docto Agricola exortas euellere SENTES.
Scande Boruſſorum, Præſul Venerande, Curules:
Te rogat altus Honos. Myſtarum cerne Tiaras:
Quas Tibi virtutis ſtimulos illuſtria Templi
Hæc ſimulachra, iſtis effícta tapetibus, addunt.
Cerne Tidemannum. Primo vt Sol ſplendet Eoo
Fulgidus, & tremulis intermicat ardor in vndis:
Sic ſplendet Giſij nullis moritura diebus
Virtus. Hoc Templum, Monimenta & conſcia teſtor.
Quis non ſuſpiciat Generoſi Præſulis acta,
Æquatasque polo moles. Hoc priſtina virtus
Authore, externæ & Pietas non indiga laudis,
Sed cenſu contenta ſuo, ſeſeque Beata
Reſpirat ſincera Fides, veterumque Parentum
Dogmata de medijs tandem fulsêre procellis.
Hoc duce Barbaries omnis, doctisque fugatus
Exulat error agris, ætasque diſerta patentem
Ingenijs aperit campum, Muſisque decorem
Aonij celſo deductis vertice Pindi
Reſtituit, reparatque Artes meliore metallo.
Cerne Hoſium Magnum. Reſidens Sapientia vultu,
Præſulis os, vultus, faciem moderatur, acutis
Diſſoluenda docens venientia vincula doxis
Aſsiſtunt comites lateri. Conſtantia duris
Non concuſſa malis, in Sacras pectora curas
Excitat. At Romanus Honos radiantia tollit

Tempora. Susceptas solatur Gloria curas.
Ponè Athesim cernes, & Mænia Sancta Tridenti
Teuthonicæ. Namque hic Sacrâ claratus arenâ
In se oculos vertit, plaudentumque ora Quiritum,
Transgressus Latij fines, transgressus & Alpes.
Cerne Lubodzeuium Mitrâque Pedoque coruscum.
Haud aliter dubiæ iam sub confinia lucis
Tithoni croceo surgens aurora cubili
Purpurat ore nitens, crinemque repexa decoro
Pectine palantes toto fugat æthere stellas
Humentemque polo noctis eliminat vmbram.
Ille vagas Syluis eduxit in oppida Musas:
Magnaque Sanctorum tribuit Delubra Minorum,
Hic vbi spumanti dùm sese plurimus aluêo
Istula diffundit, fæcundos gramine campos
Efficit, armentis & pabula læta ministrat.
Sancta Viro facies, apicatum more Quirino
Tegmen habens Capiti, Sacros diffundit Honores:
Impleuitque suâ venientia sæcula fámâ.
Cerne Senem Kostkam, sacrâ fulgere Tiarâ
Augustâ Grauitate Virum, nec inutile pectus
Consilijs. Fuit ille Tui de Gente Parentis.
Hoc Duce Lerna, caput Scelerum, Monstrumque nefandû
Hæresis, audendi præscribens iura, Rapinis,
Cædibus, & Luxu, multâque Libidine, fastu,
Et Rabie, patulum latè famosa per Orbem,
Hæret Tartareis se inclusam Bellua vinclis.

Præsu-

Præsule sub tanto Culmâ, cessère triformes
Hæreseos Furiæ. Cessit Babilonia Templis
Sacratis Meretrix, turbato in pectore versans
Sanguinis ingentes æstus: Caput horret in vmbra.
Non tamen est satis horrendam expulisse, nociuos
Per saxa, & tribulos, per tesqua Secuta Magistros
Cæca ruit, Multis funestas perfida mortes
Attulit Hæresis. Hem serpit caligo, nec altos
In Fidei licitum est attollere lumina Soles.
Sic lupus insidias meditatus, pascua circum
Insectátur oues, rabie ferus, improbus irâ,
Pertentatque aditum, & septis sese arduus infert
Dentibus infrendens, & morsu exasperat iras.
Huc geminas nunc flecte acies; hanc aspice Gentem,
Prussiadasque Tuos. Duo fulgida sydera morum
Cerne Conopatios. Decus, Excellentia, Robur
Alter Consilij: cuius Prudentia Magnis
Claruit eximiè rebus: multosque per annos
Non alto Simulata gradu, non improba gestu;
Sed clara ingenio, & Magnis virtutibus aucta
Nobilitas spectata fuit. Nec Prussica quondam
Vllo se tantùm tellus iactabit Alumno.
Alter at (annorum tria bis propè lustra feruntur)
Enituit Culmæ, pariter pietate vel Armis
Maiorum eripiens cariosæ gesta Senectæ:
Perpetuisque sua æternavit stemmata fastis.
Aspice quantus Honos frontis, quæ Gratia blandis

Interfusa genis, quàm mitis flamma decoris
Fulguret ex oculis, quàm conspirarit amico
Fædere Præsuleâ cum Maiestate venustas.
Pectora nec formæ cedunt exercita curis
Palladijs, & Pierias exculta per artes
Tranquillant placidos Sophiâ sub iudice mores.
Vis & Gembicios Magnos, Animamque Superbam
Tilicij Petri, Templumque videre receptum?
Hæresis imperium hic quondam, curesque rebelles
Contempsit: Mediâ cesserunt Sede Ioannis.
Hæc ita Præsulei referunt monumenta laboris:
Hinc imitanda petas exempla domestica vitæ.
Qui Mystæ? Quantas ostentant aspice dotes,
Atque vmbrata gerunt sacratâ tempora Mitrâ?
Hi tibi sint stimulo. Factis imitare Priores.
Nulla quidem virtus est Præsule dignior, ardens
Quàm pietatis Amor: quocirca ante omnia curam
Relligionis agas, & propagare memento
Sacros Romulidùm ritus, moremque Sacrorum.
Cerne vt Tartareis emissa hortatibus auras
Eumenis irrupit, colubrisque innexa sonoris
Agmina terrificis variarum ambage viarum
Sedibus elicuit, statuitque sub aurea cæli
Sydera concordes in bella mouentia fratres,
Assuetisque dolis miscentia Sacra prophanis.
Ipsaque (prô crudele nefas) in crimina sese
Omnia conglomerans sæuos adiunxit ad vsus

Nequicquam invalida, & pectus suffusa vereno
Impia Bálthiacum discordia nauigat æquor,
Sacrilegis accincta Dolis, centumque Furores
Centenasque vehat fraudes, odiumque, Minasq;
Sanguineumque Nefas: uidi glomerata per vndas
Agmina, Prusiacasque vadis crebrescere pestes.
Sed Tibi Fata fauent: Tu Monstra ingentia victor
Funde Manu. Non Te liuentibus obsitus vmbris
Cocytos: non spársa novem per iugera Monstrum
Aut inpacatæ deterreat incola Lernæ.
Hinc ego (namque mihi fatorum arcána loquuntur)
Crediderim Fas ac Leges, & Iura, Piumque
Et Rectum ventura, & Amicæ fædera pacis.
Aurea quin posito paccatis sæcula Marte
Florebunt Prusis, ceu cùm Saturnus olympo
Venit ab æthereo, fugiens scelerata furentis
Arma Iovis, duroque homines é robore natos
Composuit, vitæ dùcens melioris in vsus.
Rursus & instructi sacris de more priorum
Legibus, vnanimes simul intemerata Borusi
Liba frequentabunt,, & Relligionis Honores
Optima posteritas rutilum super æthera tollet.
Talia dicta dabat, memorans monumentar Priorum,
Relligio: in Templo mox interiore resedit
Læta suo: & numerum Diuorum Altaribus auxit.